

eas exstisset, silentio praetermissi. Qua re non recte feci, quod v. 384 adnotavi ‘Person. om. J’, cum omnino nihil testari debuerim.

Lipsiensis F adhibui collationem quam ab Car. Er. Christoph. Schneidero confectam possedit Ritschelius. Accurate eam esse factam in Epidico recensenda cognovi. Cuius codicis quod multas scripturas omisi, me laudem, non vituperationem inventurum esse spero.

Editionis principis Z lectiones petivi ex eiusdem Schneideri collatione, non illa a. 1825 in lucem emissa, sed propria manu scripta. Ac ne ex hac quidem minutis discrepantias me enotavisse probabunt periti.

Erunt qui mirentur Langianos codices saepius a me commemorari, ex quibus bonae frugis quidquam percipi posse ipse negaverim (Anal. Pl. p. 81 sqq.). Qua in re hac ratiocinatione me ductum esse scito: unus ex illis codicibus — nam de tribus simul idem valere negaverim — lectiones nonnumquam mirifice cum B vel BE concinenter exhibit, discrepantes cum EJFZ vel JFZ (179, 379; 45, 101, 240 alibi); idem codex cum in aliis contra B cum EJ concinat (267, 705 alibi), propriam quandam virtutem videtur habuisse. Ubiunque igitur exquisitiores codicum scripturas ex Langiano illo confirmari vidi, non omittendas esse putavi: omisi reliquarum plerasque, utpote cum ex tribus illis codicibus quibus Langius usus est in quo exstiterint diiudicari nequeat; idque eo magis facere potui quod depravationis vel interpolationis speciem prae se ferunt tantum non omnes. Mirum est quod v. 15 et 16 ‘oculissimum’ in Langianis fuit, quod v. 15 etiam Osbernus exhibit. Sed quae de Curculione valent, ad Epidicum ne transferas monendum esse video.

Osberni testimonia, quae in Epidico omisi, in hac fabula addidi, quamquam quae Anal. Pl. p. 80 disputavi confirmari cognovi. Sed in subsidiorum penuria, quam Curculionem qui tractare cupiunt dolebunt, nihil quicquam deesse volui. In ipso apparatu discrepantias Osberni consulto neglexi.

1) Ne errores exoriantur, moneo ubicumque, ut exemplo utar, adnotatum est ‘quid ex qui E<sup>3</sup>’, id semper ita interpretandum esse, ut m. 1 scripserit *qui*, quod correxit in *quid* m. 3, numquam sic, ut et *qui* et *quid* manui 3 debeatur. Idem valet de BJ.